

585069 –
585074
I
BIBLIOTHECA
UNIV. JAGELL.
CRACOVIENSIS
Mag. St. Dr.
kat.komp

W tej Księdze jest
więcej prac !

DISSERTATIO

INAUGURALIS JURIDICA
SUPER QUÆSTIONE

AN OFFICIA INNOXIÆ UTILITATIS SINT PERFECTA?

QUAM, EXANTLATIS EX OMNIGENA JURISPRUDENTIA TRIBUS RIGOROSIS EXAMINIBUS.

UNA CUM

THESIBUS EX UNIVERSO JURE PRO OBTINENDA DOCTORIS JURIS LAUREA

IN

ALMA UNIVERSITATE

JOSEPHINA

PUBLICÆ ERUDITORUM DISQUISITIONI

SUBIJCIT

ANDREAS DE ROBKOWA STROWSKI
GALICIENSIS.

DIE 24 NOVEMBRIS H. 10
ANNO MDCCXC

LEOPOLI
TYPIS PILLERIANIS



ILLUSTRISSIMI EXCELLENTISSIMIQUE DOMINI DOMINI COMITES PRÆSIDES DIGNISSIMI!

Dignum eſt, VIRI EXCELLENTISSIMI, ut cum inſignia VOS erga Rempublicam, in ſuo cuique tribuendo, ornent merita, & dignitates ampliſſimæ, ſummo VOS quisque, ut meremini, proſequatur cultu, ac ſingulari amore. Quamobrem ego etiam VOBIS EXCELLENTISSIMI COMITES tenuem hunc, quem pro obtinenda Doctoris Juris laurea conſcripſi, libellum, in exiguum quidem, ſed maximæ meæ erga VOS obſervantiæ

do-

documentum offero; VOSque enixè rogo; ut benevolô ſemper animo protegere dignemini VESTRUM.

EXCELLENTISSIMI COMITES

Obſequentiſſimum Clientem
Andr. de Robkowa Strowſki.



§. 1.

Inter ultimos creationis fines eſt etiam felicitas generis humani.

Voluit Deus creare hominem, voluit illi dare facultates & vires, quarum uſu ſibi & aliis prodeſſe, ſe & alios perficere poſſet. Placuit etiam infinitæ Ejus voluntati, naturales quosdam indere homini ſtimulos, ad aſſequendam tam propriam, quam aliorum hominum felicitatem. Voluit media, debuit ergo velle & finem, id eſt, felicitatem totius generis humani, quæ propterea inter ultimos creationis fines merito referenda eſt.

§. 2.

ad quam obtinendam homines per ſolam naturam obligantur.

Per naturæ leges impoſita eſt mortalibus omnibus neceſſitas, finibus rerum creatarum, qua-

tenus illi ex ipſa hominis rerumque natura, ſolo rationis lumine conſpici, & actionibus noſtris liberis applicari poſſunt, conformiter vivendi: unde fluit ſummum illud naturæ præceptum; vi cujus hominum quisque, ad felicitatem ſui generis obtinendam, eamque unitis viribus promovendam, in q[illegible]m poteſt, obligatur.

§. 3.

Datur ergo ſocietas hominum univerſalis ab ipſa natura.

Et ita in ipſa jam natura facile is hominum ſtatus concipitur, in quo ómnes illi ad communem finem, ſeu felicitatem totius ſui generis unitis viribus obtinendam tendere obligantur. Datur ergo a natura ſocietas hominum univerſalis, quæ etiam pro fine habet, communem generis humani felicitatem.

§. 4.

Cujus ſocietatis jura & obligationes ex felicitate generis humani deducuntur.

Quoniam ex fine ſocietatis cujuslibet jura & obligationes ſociales, tanquam media ad illum obtinendum deducuntur; ratio in promtu eſt, quare omnia hominum relatè ad ſe invicem jura, iisque corelata officia ex felicitate generis humani cognoſci debeant & ex eo fine ſuam capiant menſuram.

§. 5.

Competit hominini jus utendi viribus suis naturalibus.

Jus ad finem, dat jus ad media, sine quibus finem obtinere est impossibile. Ex obligatione igitur & jure ad obtinendam, promovendamque generis humani felicitatem immediate deducitur, competere per ipsam naturam homini cuique jus utendi viribus suæ humanitatis naturalibus, id est, viribus animæ & corporis cum ad perficiendum se ipsum, tum ad perficiendos etiam alios, quorum perfectio felicitatem generis humani constituit

§. 6.

cum exclusione aliorum.

Exigit autem felicitas generis humani, ut cum suæ cuique generatim *) peroptimè notæ sint animæ & corporis vires, quarum usu sibi & aliis quamplurimum posset, prodesse, liberum sit cuilibet in determinandis viribus suis, sequi pro arbitrio perfectionem quam maximam. Ad capiendum bonum majus, si forte liceret alteri vires meas determinare, ideo quia ipse magis idonea ad finem óbtinendum media se electurum credit; cum natura nequaquam determinet, quis sit sapientior præ aliis, imo quisque dicat se esse sapientiorem, præsto essent bellorum, turbarumque causæ perpetuæ. Imo cum nemo non experiatur, suam perfectionem propriam magis sibi, quam aliis, commendatam esse ab ipsis naturæ impulsibus; fortior igitur mihi incumbit obligatio, & competit jus, quam aliis, vires naturales in meam felicitatem, quæ in eam generis humani influit, determinandi. Ex qui-

quibus colligitur, jus illud homini per naturam competens viribus ſuis naturalibus utendi eò etiam ſe extendere; ut quisque ab hoc uſu virium ſuarum cæteros omnes excludere poſſit.

*) Dixi generatim; exigit enim in certis caſibus felicitas generis humani, ut vires hominis e. g. furioſi, aut infantis determinentur ab aliis.

§. 7.

Datur ergo ſuum hominis conatum.

Sequitur inde I. dari ab ipſa natura aliquid, quô utendi jus habet homó cum excluſione aliorum, quod ſuum hominis conatum, in ſenſu iuridico *) appellamus.

*) Suum juridicum diſtinguitur a ſuo hominis grammaticè conſiderato, quod eſt id, quod partem ejus phyſicam conſtituit.

§. 8.

nec non libertas naturalis.

Nec non II jus hominis de viribus naturalibus ſuæ humanitatis pro arbitrio, & cum aliorum excluſione diſponendi, ſeu jus illud conatum hominis in ſe ipſum, quod libertatem naturalem vocant.

§. 9.

quæ pertinet non ſolum ad uſum virium poſitivum ſed & negativum.

Ratio ob quam jus homini de viribus ſuis naturalibus diſponendi competere diximus, eó etiam

etiam ſe extendit, ut dici poſſit, homines vi juris illius gaudere facultate, non ſolum actionem certam ponendi, ſed & ommitendi. Utique libertas naturalis includit omnem arbitrariam virium hominis naturalium diſpoſitionem, nec minus illam, per quam nos determinamus ad non agendum. Pertinet ergo jus hominis conatum in ſe ipſum non ſolum ad uſum virium ſuarum poſitivum, ſed etiam negativum.

§. 10.

Limites hujus juris

Sed quia alii etiam jure illo conato æque ſunt præditi, jura vero contradictoria dari nón poſſunt, facile deducitur, limites hujus juris conati eſſe; ne quisquam alterius vires determinare audeat ſive poſitive, ſive negativè, id eſt, ne determinet etiam ceſſationem actionis, cujus poſitione in alterius vires non involatur.

§. 11.

quod cum jure cogendi connexnm eſt.

Quotidiana quemque docet experientia, multos omni tempore adeſſe depravati animi homines, quibus nulla lex eſt, & quos ſola tantum regit libido Illi ne limites, quos inviolabilis naturæ lex libertati naturali præfixit transgrediantur, neve in vires alterius involent impunè, violentis etiam coerceri poſſunt mediis. Et ſane per mala, quæ inde in genus humanum redundant, longè majora præpediuntur illa, quæ omni momento ab improbis, ſi nullum illos coerceat frænum, imminent. Ex ipſa itaque illa generis humani felicitate, ex qua jus hominis in ſemetipſum deduximus, colligimus etiam jus illud cum jure cogendi copulatum eſſe debere.

§. 12

Datur quidem etiam jus exigendi uſum virium alterius

Manca eſt vis humanitatis noſtræ, ut adeo impoſſibile, vel ſaltim difficile ſit nobis quandoque propoſitum aſſequi finem: tunc autem aliorum auxilium opus eſt implorare, viresque conjungere. Cum vero bonum commune totius humani generis cuique homini promovere incumbat; cumque alii æqué noſtro auxilio indigeaut perſæpe, meremur certo opem aliorum. Dubium ergo non eſt, ob illam communem generis humani felicitatem, jus eſſe nobis interdum exigendi uſum virium alterius cum poſitivum, tum negativum libertati alterius naturali ſubjectum

§. 13.

Id tamen cum jure cogendi copulatum non eſt.

Attamen ſi etiam vi extorquere liceret illum uſum virium alterius, ſemper cogeremur alios iuvare, negligere nosmetipſos. Nefas eſſet ab uſu virium noſtrarum excludere alios, nec in determinando illo uſu ſequi pro arbitrio perfectionem maiorem, ipſa hæc coactio extenderet ſe ad impoſſibilia uſquè, ſic porro tota libertas naturalis rueret. Id igitur etiam manifeſtum eſt; jus ejusmodi exigendi uſum virium alterius nullatenus per naturam cum jure cogendi eſſe connexum.

§. 14.

§. 14.

Quare dantur jura & officia tam perfecta quam imperfecta.

Dantur proinde per naturam jura, & iis corelata officia, alia perfecta, quæ cum jure cogendi connexa sunt, alia imperfecta, quæ cum jure illo nequaquam sunt copulata.

§. 15.

Officia perfecta absoluta consistunt.

Competit homini per naturam jus cogendi, ne audeat quisquam violare jus ipsius conatum in semetipsum; inde intelligitur officia omnia perfecta, si ut absoluta spectentur, eò tendere, ne quis in suum alterius conatum involet, id est, ne vires alterius naturales determinet sive positive, sive negative, scilicet ne determinet, cessationem actionis, cujus positione in alterius vires non involatur.

§. 16.

in non determinandis viribus alterius naturalibus.

Quare immediate concluditur inde officia perfecta absoluta omnia in illa cóntineri propositione. *Vires alterius naturales nec positive determina, nec etiam negativè* id est, non determina cessationem actionis, cujus positione in alterius vires non inviolatur *)

*) Officia vero imperfecta in illo insunt enunciato. *Vires tuas in alterius utilitatem tam positive, quam negative determina.*

§. 17.

Officiis perfectis absolutis satisfit nuda cessatione ab agendo.

Qui in statu naturæ absoluto nihil agit, adeoque vires alterius nullatenus determinat, non involat in suum alterius conatum. Quare nemo ausit negare, officiis naturalibus absolutis perfectis nuda ab agendo cessatione plenè satisfieri.

§. 18.

Ex jure hominis in se ipsum fluit etiam jus ocupandi.

Vi juris connati hominis in se ipsum gaudet quilibet jure determinandi vires suas naturales pro arbitrio, dum modo usu virium suarum in alterius vires non involet. Porro is vires alterius nullatenus determinat, qui res in communione primæva existentes in futuros usus apprehendit cum animo sibi habendi ut proprias, seu occupat. Jus igitur eiusmodi res nullius occupandi per solam naturam homini cuique competit.

§. 19.

Effectus occupationis erat dominium.

Frustraneum evaderet jus illud occupandi, si cuique liceret possessorem in usu rei occupatæ turbare, neque ius esset possessori, ab usu illo alios excludendi. Igitur ex facto occupationis ortum est jus possessoris de ipsius rei substantia & consectariis pro arbitrio & cum exclusione aliorum disponendi, quod jus, dominium, dicitur. Ejusmo-

di juri correspondet obligatio aliorum negativa se a re occupata abstinendi.

§. 20.

per quod alii ab usu rei possessori innoxio exclusi non sunt.

Scopus occupationis fuit, ne nobis res in futuros usus deficerent, dominia igitur rerum eatenus tantum introducta sunt, quatenus id ad obtinendum illum occupationis scopum erat necessarium, quo cessante communio rerum negativa non est sublata. Res nimirum omnes eatenus tantum sunt occupatae, quatenus usui occupantis inserviunt, secus vero nequaquam. Nec igitur alii ab usu rei occupatae intantum excludi poterant, in quantum ex usu illo nullum in occupantem detrimentum redundat. Inde vero directe concluditur, facta rei occupatione alios homines nonnisi ab usu possessori noxio exclusos fuisse, quo ad innoxium vero Jus illud commune permansisse.

§. 21.

Ex his principiis sequitur.

Ex his ita stabilitis principiis determinatur quaestio: *An jure naturae officia illa quae aliis sine minimo nostro detrimento praestare possumus, seu per quae alter commodum suum sine damno nostro quaerit, & quae innoxiae utilitatis officia vocari solent, vi extorqueri possint, vel minus? seu, quod idem est, an inter perfecta, vel imperfecta officia referenda sint?*

§. 22.

§. 22.

Officia innoxiæ utilitatis abſoluta, tam affirmativa.

Satis jam ſupra deductum eſt, obligationibus perfectis abſolutis nuda ceſſatione ab agendo ſatisfieri, id vero per ſe certum eſt, eum nihil quidquam agere, qui actionem alteri utilem omittit. Competit etiam vi libertatis naturalis cuique homini jus viribus ſuis naturalibus pro arbitrio utendi, tum alios ab hoc uſu penitus excludendi. Nemini autem a natura permiſſum eſt actionem alterius quoquomodo determinare, eo minus alterum ad illam præſtandam cogere vi. Inde colligitur absque labore, officia innoxiæ utilitatis affirmativa, quæ in agendo conſiſtunt, nullatenus inter perfecta officia referri poſſe.

§. 23.

quam negativa, non perfecta, ſed imperfecta eſſe.

Libertas naturalis includit liberum virium naturalium uſum poſitivum æque, ut negativum: adeo ut nemini vires alterius vel eatenus determinare liceat, ut determinet ceſſationem actionis, cujus poſitione in alterius vires non involatur; ad illam igitur ceſſationem actionis neminem per naturam cogi poſſe, ſatis liquet. Quare officia innoxiæ utilitatis negativa abſoluta, per quæ ſine detrimento noſtro in alterius commodum actionem certam omittere eſt neceſſe, veluti abſtinere ab occupatione fructuum ſuperfluorum, itidem non inter perfecta, ſed imperfecta officia referenda eſſe.

§. 24

illa vero negativa hypothetica, quæ in usu rei aliis permittendo consistunt, esse perfecta.

Secus fit in statu naturæ hypothetico cum officiis negativis illis, per quæ omitenda venit actio quædam finem in eum, ut alter in usu rei a me occupatæ mihi penitus innoxio commodum suum quærat. Enimvero facta rei occupatione cæteri homines jure dominii ab usu tantum occupanti noxio sunt exclusi, permansere vero jura communionis negativæ quo ad usum innoxium, quem adeo a possessore cuique vi juris conati in se ipsum, tum inde manantis juris rem nullius occupandi exigere, tum denegantem, qua violatorem juris illius conati ad præstandum eundem vi etiam compellere licitum est.

§. 25

attamen prius petenda esse.

Id tamen accidit sæpenumero, ut quæ naturaliter innoxia sunt, alteri ob certas ipsi soli notas circumstantias imperfectionem adferant; quare non prius vis adhibenda est, quam ubi nudæ patientiæ officium rogatus vel nullam, vel manifesto injustam allegat denegandi rationem.

§. 26.

Argumentum Dariesii quo ad officia innoxiæ utilitatis negativa non concludit.

Quo ad officia innoxiæ utilitatis negativa visum est Dariesio, ea cum jure cogendi copulata

esse debere, idque deduxit ille ex principio suo. *Quidquid sine virium alterius adcommodatione, & sine damno alterius facere possumus, nec officiis erga nos repugnat, ad id faciendum, nobis per ipsam naturam competit jus.* Sed patet ex dictis supra, nemini per naturam jus esse vires alterius determinandi sive positive, sive negative, id est, non licet etiam determinare cessationem actionis, cujus positione in alterius vires non involatur. Quare principium hoc Dariesii eatenus mancum est, quatenus ille ea tantum, quæ cum virium alterius adcommodatione fiunt, ab aliis extorqueri non posse supponit, sicque officia innoxiæ utilitatis negativa, per quæ alterius vires non quidem positivè, sed tamen negative determinantur, perfectis officiis adnumeranda esse existimat.

§. 27.

Solvuntur obiectiones eorum

Pufendorfius, Hertius & alii, negant indistinctim officia innoxiæ utilitatis cujuscunque sint illa generis, cum jure cogendi esse connexa. Aiunt nempe I. ejusmodi jus cogendi repugnare socialitati, plerosque enim omnes beneficia accipere velle, dare non velle. Deinde II magis gloriosum esse, officia innoxiæ utilitatis hominum pudori relinquere. III. Jus illud cogendi adversari juri naturali dominii, quod importat jus privativum & arbitrarium de re sua disponendi IV libertati & æqualitati naturali. Tum denique V. felicitati totius generis humani, quia coactio ad hæc officia ob incertam eorum rationem ac mensuram, turbis humanæ societatis frequentem causam præbet.

§. 28.

qui ad officia innoxiæ utilitatis exigenda,

Aſt I. volunt plerique pacta ſervari, ſervare nolunt, ideo tamen ſalvo ſocialitatis fine ad ſervanda pacta alios cogendi jus homini competere nemo auſit negare. Nec etiam propterea quod, II. glorioſius ſit ſervationem pactorum pudori hominum relinquere.

§. 29.

indiſtinctim negant dari jus cogendi.

III. Ex ſcopo & notionibus domininii deductum eſt, illud quo ad uſum rei occupatæ poſſeſſori innoxium ceſſare, adeoque ceſſare etiam jus privativum & arbitrarium diſponendi de re, quæ eatenus ſua non eſt. IV Libertas naturalis includit ſolummodo jus hominis de viribus ſuis naturalibus diſponendi, cujus juris obiectum res externæ nullatenus ſunt. Jam vero æqualitas naturalis in identitate jurium naturalium conſiſtit, quæ omnia ſalva cuique manent, poſito etiam ejusmodi jure in uſum rei occupatæ innoxium. Nec ratio eſt V. cur jus ejusmodi turbis humanæ ſocietatis occaſionem præbeat frequentem; præſertim, cum id, quod hiſce modis debetur ſemper ſit determinatum; quia non licet injuriam ſibi factam antea judicare, quam ubi officium patientiæ rogatus nullam, vel manifeſto injuſtam denegandi cauſam adduxerit.

§. 30.

Refutatur argumentum Grotii, qui indiſtinctim putat.

Contra officia innoxiæ utilitatis indiſtinctim perfecta eſſe, putat magnus Grotius. Ait enim

ille ſublatam eſſe communionem primævam, introductamque rerum proprietatem per pactum quoddam aut expreſſum, ut per diviſionem, aut tacitum, ut per occupationem; quo ad officia innoxiæ utilitatis ceſſare rationem illius pacti, adeoque horum ratione nobis ex primæva communione jus aliquod in res alienas ſupereſſe.

§. 31.

ad exigenda ejusmodi officia jus cogendi dari.

Sed præterquam, quod Grotius de iis tantum officiis loquatur, per quæ aliis uſum rei noſtræ nobis innoxium permittere eſt neceſſe; recte reſpondet Darieſius, totam illam ſententiam mera fictione inniti, ex ficto hoc pacto aut expreſſo, aut tacito, per quod proprietates rerum introductæ ſunt, neutiquam determinari poſſe id, quod jure fieri poteſt. Quamobrem ratio hæc argumentandi ad corroborandam Grotii theſim nihil omnino confert, & ſententiæ hic ſtabilitæ non obſtat.

POSITIONES
EX UNIVERSO JURE

I. Exiſtunt leges naturales, quæ immutabiles ſunt, neceſſariæ, æternæ.

II. Fines rerum a Deo creatarum, quatenus ex rerum natura, ſola ratione perſpici & actionibus noſtris liberis applicari poſſunt, idoneum ſunt legum naturalium cognitionis ex quo principium.

III. Gaudet quilibet homo jure ſecuritatis, & defenſiónis, gaudet & jure violento, ſed nonniſi ob læſionem.

IV. Officia innoxiæ utilitatis ea, quæ in uſu rei externæ conſiſtunt, ſunt perfecta.

V. Autochiria jure naturæ eſt prohibita in colliſione ófficiorum erga ſe.

VI. Origo uſucapionis legi naturali adſcribi non poteſt.

VII. Modus adquirendi dominium originarius ſimpliciter talis eſt ſola occupatio, neque ad dominii originem aliorum requirebatur conſenſus.

VIII. Cauſa Majeſtatis immediata eſt voluntas populi pacto declarata.

IX. Obligantur ſubditi ſine conſenſu Imperantis non emigrare, multomagis autem eandem emigrationem Imperàns per leges reſtringere poteſt,

X. Dubium non eſt ſub juribus Majeſtaticis jus vitœ & necis comprehendi.

XI. Abſurda eſt Machiaveliſtarum ſententia, ſubditos a Principe lædi non poſſe,

XII. Jus gentium poſitivum univerſale non datur, ſed tamen particulare.

XIII. Fædera non modo nudæ amicitiæ, ſed etiam arctioris conjunctionis cum gentibus a veri Dei cultu alienis pangere licet.

XIV. Legatus ab imperio & jurisdictione ejus apud quem degit, penitus immunis eſt.

XV. Sola læſio aliter indeclinabilis eſt belli cauſa juſtiſica, unde bellum offenſivum ſine clarigatione, aut denuntiatione in regula injuſtum eſt.

XVI. Ad ſervandam Civitatem poteſt etiam Civis innocens hoſti extradi, aut pars Reipublicæ invita deſeri, imo alienari.

XVII. Poſſeſſio inter cætera Jura realia annumerari non poteſt.

XVIII. Bonæ fidei possessor singularis fructus perceptos consumtos non restituit, etsi ex iis factus est locupletior.

XIX. Etiam Emtori remedium L. 2. cod. de resc. vend. competit, si enormiter læsus est, quando nempe verum mercis pretium bis & adhuc aliquid pro re emta dedit.

XX. Substitutioni expressæ pupillari inest tacita vulgaris, & contra.

XXI. In solutione, quatenus hæc ut modus tollendæ obligationis spectatur, requiritur dominii translatio.

XXII. Etiam usufructuario consentiente dominus servitutem constituere non potest.

XXIII. Jus asyla concedendi vel abrogandi est jus majestaticum, ideo a nemine invito Imperante usurpari potest.

XXIV. Episcopi potestatem suam non a Romano Pontifice, sed proxime a Deo nanciscuntur.

XXV. Ad neutram jurium sive essentialium, sive accidentalium Primatus classem potestas illa Pontificis pertinet, quam vulgo indirectam in temporalia Regum vocant, & qua ille etiam de temporalibus Regum præcipere, ac eos Regnis multare possit, si Ecclesiæ salutique animarum noceant Hæc enim potestas a mente Ecclesiæ aliena est.

XXVI. Potestati civili jus in sacra, quod in determinatione sacrorum situm est, haud quaquam competit, competit tamen jus aliquod circa sacra, quod jus ex ipso imperio civili profluit.

XXVII. Ex jure Regio supremæ inspectionis competit Principi jus placeti regij, ut vocant, circa bullas Ecclesiasticas.

XXVIII. Ecclesia jure statuendi impedimenta Matrimonii, ut Sacramenti, Princeps autem jure statuendi impedimenta Matrimonii, ut Contractus civilis, gaudet.

XXIX. Durch reine Geldeinkünfte werden die Pfarrer am schicklichsten versorget.

XXX. Nicht der große Reichthum der Bürger insgesammt, sondern der übermäßig große Reichthum irgend eines Standes, einer Familie, eines Bürgers, kann dem Staate, in der Person des Regenten, schädlich werden.

XXXI. Unter allen Arten der Vorrathhäuser entsprechen viele, kleine und öffentlich eingeschriebene Privatmagazine dem Endzwecke der Magazinirung am besten.

XXXII. Die Regulirung des mittleren Preises der landwirthschaftlichen Erzeugnisse kann nicht durch Taxen, sondern nur durch die wechselseitigen Verabredungen der Käufer und Verkäufer auf dem Marktplatze geschehen.

XXXIII. Der Vorzug, welchen Manufakturen auf den in, und ausländischen Handelsplätzen vor andere Mitwerber zu erhalten trachten müssen, hängt von den zum Ankaufe einladenden Eigenschaften, oder der sogenannten Vollkommenheit ihrer Waaren ab. Diese Vollkommenheit besteht in dem wohlfeilern Preise, bei gleicher inneren Güte, äußeren Schönheit, und Mannigfaltigkeit der Waaren. Der Staat muß sich also angelegen seyn lassen, die Monopolien zu unterdrücken, und den Zusammenfluß der Manufakturanten bestmöglich zu befördern.

XXXIV. Die Geldzinnse können im Allgemeinen ohne nachtheilige Folgen durch Gesetze nicht bestimmet werden.

XXXV. Unter die Beitragspflicht kann nur allein der reine Gewinn, nicht aber das ganze rohe Einkommen der Bürger gezogen werden.

XXXVI. Die Grundsteuer ist eine der besten Steuerarten, sie kann aber als die einzige Abgabe im Staate nicht angenommen werden.

XXXVII. Die Erschaffung der als Baarschaft umlaufenden Bankopapiere, ist die beste Art im Nothfalle von dem öffentlichen Kredite Gebrauch zu machen.


300

